

explicite, neq; per bonam consequentiam, Deus vel manda-  
vit vel prohibuit; qvi tamen usus aptus est, ut in bonum  
dirigatur finem. Monuit aliás Dn. Præses meus, qvod  
breviter ita definiri possint: Sunt actiones, qvæ à Christiano  
homine salva conscientia exerceri & negligi possunt. Qya  
responsione suppeditata, solis radiis clarius elucet, qvod ex  
Adiaphorum numero expungantur atq; relegentur (1.)  
Omnia explicite mandata, qvæ salva conscientia omitti  
non possunt, & qvorum neglectus à Theologis vocatur Pec-  
catum Omissionis, ut sunt: Amare Deum & proximum,  
hæc si omittantur, grande committitur peccatum. (1.)  
Omnia explicite interdicta, qvam primum enim aliquid à  
Summo Legislatore est interdictum, illud neutiquam ut  
Adiaphorum tolerari debet aut potest. Ut hodiè Indiffe-  
rentismus Religionū scortatio, & qvæ ab hominib⁹ vitiosis  
perperā pro re indifferenti æstimantur. (3.) Omnia qvæ per  
bonam consequentiā sunt mandata. Non enim illud tantum  
est præceptū, qvod explicite est injunctum, sufficit enim, si  
per bonam consequentiam demonstrari possit, esse, qvod in  
numero mandatorū reperiatur implicitē. E. G. Obedientia  
Gentili Magistratui exhibenda, expressè in Scripturis non  
præcipitur, & tamen non est Adiaphoron, sed sufficit, qvod  
per bonam ac pronam consequentiā ex eā demonstrari pos-  
sit. Servus ut stabulum eqvorum purget, expressè in quarto  
præcepto non jubetur, tamen per consequentiam inde elici  
potest, qvod jubente Domino ad id faciendum summa sit ad-  
strictus necessitate. (4) Omnia, qvæ per bonam conse-  
quentiam sunt interdicta. Illud enim non tantum est prohibitum,  
qvod expressè est interdictum, sufficit si per bonam conse-  
quentiam ostendi possit, qvod sit interdictum, E. G. licet  
expressè non sit prohibitum, ne mero calefacti in prosti-  
bulo cum puellulis lascivis choreas ducamus, tamen, qvia  
per se ad impunitatem tendit, implicitē in sexto præcepto  
est